



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 119. Quorundam Cardinalium consilia de Avenionis alienatione

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

quamvis sæculares adhucdum in Laterano permanerent, ac seorsim a Regularium choro canonicum pensum explerent; tandem vero, ut Ecclesia Regularibus integre addiceretur, ac Sæculares penitus inde arcerentur, his morte sublatis, aut a Lateranensi Ecclesia recedentibus, in eorum locum nulli alii subrogabantur. Ea res acriter Romanos offendit, magis tamen indignabantur, quod Paulus Papa illius Ecclesiæ beneficia, neglectis civibus Romanis, extraneis conferret; unde frequentes adversus eum querelæ, ac indignationes audiebantur.

Sæcul. XV.
A.C. 1464.

§. CXIX.

Quorumdam Cardinalium consilia de Avenionis alienatione.

Cum in quodam Patrum Senatu a nonnullis Cardinalibus ad componendas contentiones, quæ de Regno utriusque Siciliæ tum fervebant, propositum esset, quatenus Pontifex Andegavensibus Avenionem, & Comitatum Venaissinum traderet, ea lege, ut ipsi Neapolis Regnum Ferdinando cederent, Carvajalus Cardinalis ejusmodi consiliis acriter oblectabatur, huncque in modum perorabat: *Hæc permutatio Sedi Apostolicæ summe perniciofa est, unde omni ope & operacurandum, ne Romana Ecclesia hoc patrimonium*

Papiens. epist. 94.

Sæcul. XV. A.C. 1464 *monium trans Alpes perdat: Est refugium pulsus Pontificibus, & durum Italis frænum, ne ad vexandam Ecclesiam licenter currant, sed in officio contineantur, metuentes, ne summi Pontifices, relicta Roma, sedem Avenione figant. Nec tamen deerant, quibus contraria infederat opinio; credebant enim, hanc ipsam urbem transalpinis Pontificibus illecebram fore, ut sine alia causa, quam patriæ suæ desiderio stimulati, sacram Sedem eo transferant. Verum alii hoc rationis momentum rejicientes responderunt: Vix ullos transalpinos Pontifices erit reperire, quos adeo cælum Gallicanum capiat, ut velint Principatum temporalem Sedis Romanæ, atque ipsam Sedem prædonibus relinquere. Æstimatio major Romæ est, libertas major, potestas operandi, ut volunt, major. Pontifex Avenioni conclusus non minus alienæ, quam suæ ditionis est; cum hic est, Orbi imperitat. Ceterum huic periculo, quo sacram Sedem Avenionem transferri timebant, præclare obviabant Cardinales; quippe jam per tria sæcula hætenus nullum Pontificem elegerunt natione Gallum, cum tamen prius, ac præcipue ante schisma, & illo durante satis frequens esset eorum inauguratio. (*)*

§. CXX.

(*) Vide supra lib. CXI. §. LXII. pag. 546.